

Commissio ratione finium et terminorum ad Mare Adriaticum reassumatur. Civitas Segniensis libere ad Comitata veniat; et in Capitaneum Segniensem, pro oppressione ejusdem Civitatis, sua Majestas graviter animadverti facere dignetur.

Articulus 50.

Ad Tricesimas Regias et Regni, in partibus quoque Maritimis et Croaticis renovandas; metasque ibidem cum Vicinis Provinciis rectificandas; ac difficultates quoque Familiae Frangepanicae complanandas, ordinatam antea Commissionem reassumi; ac pro ea certum locum et terminum praefinire; et ut Civitas quoque Segniensis secure ac libere ad Comitata venire possit, *) sua Majestas, juxta Art. 42. Anni 1638. et clementem suam modernam oblationem benigne curabit:

§. 1. Et in Dominum quoque Capitaneum Segniensem, pro oppressione ejusdem Civitatis Segniensis, graviter animadvertere dignabitur. **)

De Bano Croatiae declarando ac installando, solutioneque eidem et Banderio suo providenda.

Articulus 51.

Cum Regnum Sclavoniae et Croatiae in Juridicis, pariter ac Bellicis, legitima sua directione carere non possit, necessarium proinde censent Regnicolae; ut sua Majestas juxta Art. 28. Anni 1609. et Art. 32. Anni 1638. et clementem quoque suam oblationem; Banum primo quoque tempore declarandum in Officium introduci benigne faciat:

§. 1. Eidemque et Banderio suo Banali de Solutione, in quantum ex medietate ordinariae Tricesimae, Regno resignatae, fieri non poterit; juxta eosdem Articulos, ulterius clementer providere dignabitur.

Valachi Sombergenses (Žumbergenses) ad solutionem tam Regiae, quam Regni Tricesimae compellantur.

Articulus 52.

Valachi Sombergenses, qui sub praetextu exemptionis, in Styria obtentae, a solutione Tricesimae hucusque sese subtraxissent; non obstante hujusmodi exemptione, ad solutionem tam Regiae, quam Regni Tricesimae, ubique sub Corona Regni libere per Tricesimatores compelli possint.

Praesidium Berkisevina reaedificandum.

Articulus 53.

Pro formalis alicujus Praesidii in Berkisevina et Confiniis Colapianis aedificatione; Art. 31. Anni 1618. et Art. 42. Anni 1635. renovantur et realiter effectuentur: Super quo etiam sua Majestas benigna mandata clementer obtulit.

*) Huc facit; An. 1715. a. 128. An. 1741. a. 65.

**) Renovatur; An. 1649. a. 32. An. 1659. a. 96.